



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De  
Imitatione Christi Libri Qvatvor**

**Thomas <von Kempen>**

**Antverpiæ, 1617**

Cap. XIII. Quòd toto corde anima deuota Christi vnionem in Sacramento  
affectare debet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

## CAP. XIII.

*Quod toto corde anima deuota, Christi  
unionem in Sacramento, affe-  
ctare debet.*

## VOX DISCIPULI.

1 **Q**uis mihi det, Domine, ut inueniam te solum, & aperiām tibi totum cor meum, & fruar te, sicut desiderat anima mea: & iam me nemo despiciat, nec vlla creatura me moueat vel respiciat, sed tu solus mihi loqua- *Exod.*  
*ris, & ego tibi, sicut solet dilectus ad 33. &*  
*dilectum loqui, & amicus cum amico* *Cant. 8.*  
conuiuari? Hoc oro, hoc desidero, ut tibi totus vniar, & cor meum ab omnibus creatis rebus abstraham, magisque per sacram Communionem, ac frequentem celebrationem, cælestia & æterna sapere discam. Ah Domine Deus, quando ero tecum totus vnitus & absorptus, meique totaliter oblitus? Tu in me, & ego in te, & sic nos *Ioan. 15* pariter in vnum inanere concede.

2 Verè tu es dilectus meus, electus *Cant. 5.*  
ex millibus, in quo complacuit anime  
meæ habitare omnibus diebus vitæ

Nost Sanct suæ.

suæ. Verè tu pacificus meus, in quo  
 pax summa & réquies vera, extra  
 quem labor & dolor, & infinita misé-  
**Pron. 3.** ria. Verè tu es Deus absconditus, &  
 consilium tuum non est cum impiis,  
 sed cum humilibus & simplicibus ser-  
**Sap. 12.** mo tuus. O quām suauis est Domi-  
 ne spiritus tuus, qui vt dulcedinem  
 tuam in filios demonstrares, pane sua-  
 uissimo, de cælo descendente, illos re-  
**Deut. 4.** ficerē dignaris. Verè non est alia natio-  
 tam grandis, quæ habeat deos appro-  
 pinquantes sibi, sicut tu Deus noster  
 ad eū vniuersis fidelibus tuis, quibus  
 ob quotidianum solatium, & cor eri-  
 gendum in cælum, te tribuis ad eden-  
 dum & fruendum.

3 Quæ est enim alia gens tam inclyta,  
 sicut plebs Christiana? Aut quæ crea-  
 tura sub cælo tam dilecta, vt anima de-  
 uota, ad quam ingreditur Deus, vt  
 pascat eam carne sua gloriofa? O inef-  
 fabilis gratia! ô admirabilis dignatio!  
 ô amor immensus homini singulariter  
**Ps. 115.** impensus! Sed quid retribuam Domi-  
 no pro gratia isti, pro charitate tam  
 eximia? Non est aliud, quod gratius  
 donare queam, quām vt cor meum  
 Deo

Deo meo totaliter tribuam , & intimè coniungam . Tunc exultabunt omnia interiora mea , cùm perfectè fuerit vñita Deo anima mea . Tunc dicer mihi : Si tu vis esse mecum , ego volo esse tecum . Et ego respondebo illi : Dignare Domine manere mecum , ego volo libenter esse tecum . Hoc est totum desiderium meum , vt cor meum tibi sit vnitum .

## CAP. XIII.

*De quorundam deuotorum ardenti  
desiderio, ad Corpus Christi.*

## VOX DISCIPULI.

**I**QVAM magna multitudo dul-  
cedinis tuæ Domine , quam abscondisti timentibus te ! Quando recordor deuotorum aliquorum , ad Sacramentum tuum Domine , cum maxima deuotione , & affectu accendentium , tunc sæpius in me ipso confundor , & erubesco : quòd ad altare tuum , & sacræ Cōmunionis mensam , tam tepidè & frigidè accedo . Quòd ita aridus , & sine affectione cordis maneo . Quòd non sum totaliter ac-

Psal. 30

N 6

census